Anonymi Salernitani De adventu medici ad aegrotum libellus ex Compendio Salernitano saec. XII. M.S. editus. II. Commentatio de praxi medica Salernitana Compendio et libello isto maxime illustrata / [August Wilhelm Eduard Theodor Henschel].

#### Contributors

Henschel, August Wilhelm Eduard Theodor, 1790-1856.

#### **Publication/Creation**

Vratislaviae : Typ. Univ, [1850]

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/uj9efds7

#### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

## **VIRO AMPLISSIMO GRAVISSIMO**



XXV

REGI BORUSSIAE A CONSILIIS SANITATIS, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD VRATISLAVIENSES ET NOSOCOMII AD AEDEM ST. ELISABETHAE FELICISSIMO, COMPLURIUM SOCIETATUM ERUDITARUM SODALI

#### SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

### HALIS

# ANTE HAEC DECEM LUSTRA INITOS

#### A. D. XIII. CAL. NOVEMBR. A. MDCCC

GRATULATUR

## UNIVERSITATIS LITERARUM VRATISLAVIENSIS

#### ORDO MEDICORUM

INTERPRETE

A. G. E. TH. HENSCHEL,

MED. ET CHIR. DR. P. P. O. ORD. MED. H. T. DECANO.

INEST: I. ANONYMI SALERNITANI DE ADVENTU MEDICI AD AEGROTUM LIBELLUS EX COMPENDIO SALERNITANO SAEC, XII. M. S. EDITUS.

II. COMMENTATIO DE PRAXI MEDICA SALERNITANA COMPENDIO ET LIBELLO ISTO MAXIME ILLUSTRATA.

## VRATISLAVIAE TYPIS UNIVERSITATIS.

------

92052

# VIRO AMPLISSIMO GRAVISSIMO

MEDRINAN ET CHIRURGIAE DECTORI, MEDICO PRACTEO, MILO NATISTAVIENES ET NOSOCOM AD NEDEN ST. RIJSARSTINK FELICISTRE, CONTRUM SOCIETATEN GRUPTARE SOUALI

OIN ON A

STAMOS IN MEDICINA ET CHINTRED REVORES

ANTE HARC DECEM LESTRA IMPROS

. D. XIII. CAL. NOVEMBR. A. DDCCO

GRATULATUR

UNIVERSITATIS LITERARUM VRATISLAVIUNSIS

ORDO MEDICORDA

INTERTRETE.

G.E. TH. MENSCHEL

NESTE L'ANONYME GALERADIANI DE ADVENTO MEGNET AD ARGHOTEM LIBITALE EN COMPETIDO EN EN 1550 NARC. XIL M. 9. EDITES. IL COMMENTATIO DE PRANI MEDICA SALEDADIANA COMPENDIO ET LIBELLO ISTO MANDE HAL PRAN.

> TRATISCAUME TYPES USLEERET AT

<section-header><section-header><section-header><section-header><section-header><section-header>

Senectus etsi per se utique honorifica est, tamen hominum vita non ex tempore, per quod ea mansit, aestimari debet: nam sive longa sive brevis fuit, pretium non habet nisi quis tempore sibi concesso bene usus est. Quare, Vir Amplissime, Tibi hodie non congratulamur, quod Tibi contigit, quod perpaucis mortalibus contingere solet, ut hic dies felicissimus Deum Optimum Maximum Te vita longissima dignatum esse testaretur, sed quod Tu hac vitae diuturnitate tam eximie usus es, ut Ipse ea re cum hunc diem gravissimum atque laetissimum Tibi redderes tum senectuti Tuae iuventutis viribus vigenti aliquantum ponderis afferres. Quod quo modo consecutus sis, qua ratione tempore usus ad hunc diem splendidissimum perveneris, quibus rebus atque virtutibus senectutem Tuam summis honoribus exornaveris, earum rerum nos per VIII fere lustra ipsi fuimus testes locupletissimi: sed quantum T u in literis, in arte, in vita praestiteris, id hoc loco enarrare vetat nos modestia Tua, quae inter virtutes, quibus Tu excellis, haud minima est. Accedit, quod ea tantum iterare possemus, quae patria urbs, cuius amore et fiducia Tu gaudes, quae omnes denique dudum sciunt, et quod nobis simul verendum esset, ne iis, qui merita Tua minus cognita habent, adulatores esse videremur. Quam ob rem in eo acquiescere debemus, ut virtutes pariter atqua merita Tua admirantes

lissimum exict testimonium, Vale, Vir Amplissime, et nabis fare,

et civibus nostris, quod iis tam diu auxilio Tuo saluberrimo uti licuit, et nobis ipsis gratulemur, quod eiusdem officii societas nos Tecum, quem ingenio, eruditione, moribus insignem esse inter omnes constat, coniunxit. Tibi simul, quinta decennalia raro exemplo obeunti, gratulationem nostram laeti facientes a Deo Optimo Maximo precamur, ut Tibi Tuisque floridam illam senectutem, nobis collegam dilectissimum, quam diu mortalis conditio patitur, sustentet atque conservet. Gratulationi vero nostrae, quae, quo simplicior, eo sincerior est, ut mos fert, munusculum, qualecunque est, adiecimus, quod, quum ad historiam praxis medicae pertineat, Tibi, medico prae aliis practico, fortasse contemplatione haud indignum videbitur, quodque eum nostrum habet auctorem, qui consuetudine Tua diutissime est fruitus, qui cultu et amore Tibi coniunctissimus est, qui Te, quum arte Tua plus semel eius vitam servaveris, semper gratissimo animo prosequitur. Nec habemus, quod addamus, nisi ut Te rogemus, ut munus illud levidense ea humanitate atque indulgentia, quam medicus ex quotidiana vitiositatis hominum observatione lucrari solet, accipias et nisi aliud, hoc certe ei pretium tribuas, quod summae erga T e observantiae nostrae originem debet et hunc solum habet finem, ut eius locupletissimum extet testimonium. Vale, Vir Amplissime, et nobis fave.

Senecius etsi per se ulique honorifica est, tamen hominum vita nou ex tempore.

# D. Vratislaviae A. D. XIII. Cal. Nobr. a. MDCCCL.

quis tempore sibi concesso hene usus est. Quare, Vir Amplissime, Tibi hodie non congratulamur, quod Tibi configit, quod perpaueis mortalibus contiggere solet, ut hie dies feliciesimus Beum Optimum Maximum Te vita longissima diguatum esse testaretur, sed quod Tu hac vitae diuturnitate tam eximic usus es, ul Ipse eu re cum hune dhem gravissimum atque lactissimum Tibi redderes tum semectuli Tune inventulis viribus vigenti aliquantum ponderis afferres. Quod quo modo consecutus sis, qua futioue tempore usus ad hane diem splendidissimum perveneris, quibus rebus atque virtuibus senectutem Tuam summis honoribus exormaveris, caram regum nos per VIII fere lustra ipsi fuinus testes locupletissimi: sed quantum Tu in literis, in arte, in via prossilleris, id hee teco enerrare venta nos modestis Tun, quae inter virtutes, quibus Tu evenities anore et fiduela Tu gundes, quae connes denique duter virtuibus issi fuinus testes locupletissimi: sed quantum Tu in literis, in arte, in via prossilieris, in ante virtuitate ture event nos modestis Tun, quae inter virtutes, quibus Tu evenities, anore et fiduela Tu gundes, quae connes denique duter virtutes, quibus Tu evenities institute minima est. Accedit, quod en tantum iterate possentus, quada a vita constitues anore et fiduela Tu gundes, quae connes denique dutum scient, et quod nobis simut interactur no no acquiescere delemus, ut virtutes pariter atquatanteris Tu audiotacteris attar feente pullium confiderel[3], et attende ac fuper latus illud incent, ne digitof habent extentof, sel in palmam reductofi et ta cum finistra futientel havehiam, et asque ad centefimam perculjionem ad minus confiderel, abi et divertit pullium genera invelligel. Set affantes ex longa experiatione, verba tau evatiora sulciofant.

# I. ANONYMI SALERNITANI DE ADVENTU MEDICI AD EGROTUM Libellus.

<sup>1</sup><sup>1</sup>Cum igitur o medice ad egrotum vocaberif. adiutorium fit in nomine domini<sup>[1]</sup>. Angelus qui comitatus eft Tobiam<sup>[2]</sup> affectum mentif et egreffum corporif comitetur. <sup>2</sup>, Intrante tuo a nuntio fcifcitare quantum eft ex quo infirmus ad quem vocarif laboraverit. qualiter ipfum egritudo invaferit. hec autem funt neceffaria ut quando ad ipfum accefferif egritudinif ejus non omnino infcius videarif. ubi poft vifa urina. confiderato pulfu. licet per ea egritudinem non cognoverif. tamen si sinthoma quod prefciveraf dixerif. confidet in te tanquam in autore fue falutif. ad quod summopere laborandum eft. <sup>3</sup>. Cum igitur ad domum eius accefferis. antequam ipfum adeas. quaere fi confcientiam fuam sacerdoti manifeftaverit. qud fi non fecerit vel faciat vel fe facturum promittat. quia fi infpecto infirmo confideratif egritudinif fignif. super hif fermo fit. de sua incipiet defperare falute, quia et te defperare putabit. <sup>4</sup>. Ingredient ad infirmum.<sup>[3]</sup> nec fuperbientif 'uultum nec cupidi pretendaf affectum. afsurgentef tibi pariter et falutantes. humili uultu<sup>[4]</sup> refalutans et gestu eis sedentibus fedeaf. cum vero jam potus refumpferif. quibusdam verbif interpofitif quibus debes fitum regionis illius laudare. difpofitionem domuf in qua ef fi expedit commendare. vel liberalitatem gentif extollere<sup>[5]</sup>.

<sup>5</sup>, tandem ad infirmum conuerfus qualiter fe habeat queraf. [<sup>6</sup>] et brachium tibi exhiberi precipiaf. et quia ex carne fpirituf in te moti funt et infirmus quia in adventu tuo multum delectatur vel quia tanquam avarus de munere cogitat. propter diverfas compaffiones [<sup>7</sup>] tum tui tum infirmi multoties in pulfuum cognitione deciperif. <sup>6</sup>, Data ergo fecuritate egro interea iam fpiritu quie-

Ut iudicari possit utrum ex Hippocratis vel Galeni mente, an proprio marte docuerit auctor, en loci veterum nonnulli citati, quos tamen eosdem illi praesto fuisse haudquaquam affirmemus.

[1] Hipp. de decenti habitu ed. Kühn I. p. 70. "Nam et Deorum cognitionem ipse potissimum animo complectitur" etc.

[2] L. Tob. c. 4.

[3] Gal. Comm. in Hipp. Epid. VI. Sect. IV. ed. Kühn T. XVIII. P. II. p. 144.

[<sup>4</sup>] Quum moderatus suavisque sit tum gravitatem servet Galen. l. c. p. 146. humilem adulationem improbans. Hipp. de Medico Kühn I. p. 56. — de dec. habitu K. I. p. 75.

[<sup>5</sup>] Quam diversi sint sermones, videas, quos proponit intranti Galen. I. c. p. 146.

[9] Hipp. de affection. K. II. p. 489. - Epid. VI. K. III. p. 594.

[7] Celsus de re med. L. III. c. 6. — Gal. de caus. puls. L. IV. c. III. V. (K. IX. p. 159. 161.) — Gal. de sanitate tuenda L. II. c. XI. (K. VI. p. 149). fcente pulfum confideref[<sup>8</sup>]. et attende ne fuper latus illud iaceat. ne digitof habeat extenfof. vel in palmam reductof. et tu cum finistra fuftentef brachium. et usque ad centefimam percuffionem ad minus confideref. ubi et diverfa pulfuum genera inveftigef. <sup>7</sup>, et aftantes ex longa expectatione. verba tua gratiora sufcipiant.

------

6 .....

<sup>8</sup> Post iubeaf tibi afferri urinam [<sup>9</sup>]. ut eger te egritudinem non folum per pulfum fed per urinam cognovisse putet. 9, In urina autem diu attendas colorem. substantiam quantitatem et contentum. 10, post egroto cum dei auxilio falutem promittas. 11, cum autem ab eo recesseris domesticis eius dicaf ipsum multum laborare. quia ob hoc fi liberabitur maiorif meriti erif et laudif. Si uero moriatur testabuntur te a principio de eiuf desperasse salute. 12, vnde praeterea moneo ne uxorem vel filiam vel ancillam oculo cupido refpiciaf. haec medici excecant animum operantif et dei immutant fententiam cooperantis. et medicum egro faciunt honerofum et de fe minus bene sperantem. Sif ergo sermone blandus. uite spectabilif. divino attentius expetení auxilio [10] adjuvari. 13, Cum autem te ad prandium ut folet fieri qui domui prefunt inuitauerint nec te importunum ingeraf nec in menfa primum eligaf locum. licet facerdoti et medico ut folet fieri primus accubitus praeparetur. potum vel cibum non contempnas nec fastidial que forte de rure et ergo rufticano pane miliaceo ventrif esuriem vix confueueral refrenare. dum autem comedif per aliquem aftantium egri fepe statum requiras. sic enim de te plurimum confidet infirmus quem uiderit inter delicias sui obliuisci non posse. furgens autem a cena dicaf tibi optime ministratum fuisse. de quo eger valde letabitur.

<sup>14</sup>, Si vero tempus egrum cibandi fuerit opportuno tempore praeelecto cibabif. in interpolatif<sup>[11</sup>] quando funt in vera quiete. in continuis<sup>[12</sup>] quando eft tempuf falfae quietif. et in interpolatif tantum ante acceffum non tempore ipfius accessi. cibus penitus fit digeftus ne natura dupplici bello<sup>[13</sup>] laboret. Si vero acceffio anticipat ut eum cibare non poffif expecta donec acceffio tranfeat. nec tamen ftatim quia membra ex praecedente bello defatigata nullum honus ex cibis fibi uolunt imponi. expecta ergo fpatium unius vel duarum horarum. <sup>15</sup>, Cibabif autem fecundum genuf egritudinif. fecundum tempora anni. secundum etatef. variata qualitate et quantitate cibi<sup>[14</sup>]. Nam ampliori cibabitis laborantem interpolata quam continua<sup>[15</sup>]. et frigidiori in continua quam interpolatif. ampliori hieme et vere<sup>[16</sup>]. minori eftate et autumpno. fecundum etatem<sup>[17</sup>]. quia pueros

[8] Gal. synops. libb. suor. de puls. c. XVI. et. al. K. IX. p. 474.

[\*] Hipp. Progn. Kühn I. p. 100. — Coac. Progn. Kühn I. 331. — Pseudo-Galen. de Urin. K. XIX. p. 574 sq. — de Urina Compend. K. XIX. p. 603. sq.

[10] Hipp. de dec. hab. K. I. p. 71. init.

[<sup>11</sup>] De victus ratione in febr. intermitt. v. Galen. de Med. meth. ad Glauc. I. c. IX. seq. — in paroxysmis: v. Galen. de vict. rat. in acut. ex sentent. Hipp. c. VIII. seq. K. XIX. p. 210.

[<sup>12</sup>] Hipp. Aph. I. 11. K. III. p. 709. — Hipp. de vict. rat. in acut. K. II. p. 94. Gal. Comm. K. XV. p. 511. — Hipp. de humor. K. I. p. 125. — Celsus de re Med. III. c. 5.

[13] Bellum quidem contra materiam febris causam et alimentarem digerendam.

<sup>[14]</sup> Hipp. Aph. I. 17. Galen. Comm. K. XVII. P. II. p. 429. seq. — Hipp. de salubr. diaet. K. XV. p. 175 seq. Hipp. de humor. K. I. p. 132. Gal. Comm. in h. L. K. XVI. p. 423. — Gal. de meth. Med. ad Glauc. K. XI. p. 30.

[15] Gal. de med. meth. ad Glauc. c. 9. K. I. p. 26. cf. Ibid. c. 14. p. 41.

[16] Hipp. de salubr. diaet. K. I. p. 618. Galen. Comm. in h. l. — Hipp. de humor. K. I. p. 132. Gal. Comm. in h. 1.
K. XVI. p. 428. — Hipp. de diaeta III. K. I. p. 707. seq.

[<sup>17</sup>] Hipp. Aph. I. 13. Gal. Comm. in h. l. K. XVII. P. II. p. 401. — Hipp. Aph. I. 17. Gal. Comm. K. XVII. II.
p. 431. Hipp. de diaet. L. III. K. I. p. 708 — 715.

faepiuf reficief quam juvenef. fenef pauciori cibo. sunt eciam cibandi secundum confuetudinem [18]. quia fi ampliori et grossiori uti cibo confuevit non est adeo subtilibus cibif<sup>19</sup>] cibandus. <sup>16,</sup> Attende etiam ventrif conftipationem vel fluxum vel inedium inter haec [20]. quia fi fluxus fit. a grofsiori incipief cibo. si conftipatio eft a forbilibus. dabis pruna et aquam decoctam eorum. <sup>17</sup>, fi vero inter haec inedium fuerit a liquidioribus<sup>[21</sup>] tum incipies. dabis ergo primo pruna<sup>[22</sup>] cocta in aqua vel granata [23] vel lac amygdalarum [24]. 18, de quo vero paratum erit exfufflanda eft unctuofitas quae est in fuperficie. ne fit fomentum caliditatif [25] quod idem debet fieri de iure galline et de aqua in qua refolvitur mica panif.<sup>19,</sup> post da far [<sup>26</sup>] ordei. et ptisanam [<sup>27</sup>] dabif in potu vel aquam ubi pofitus fit panif<sup>28</sup>] vel aquam bullitam et infrigidatam. <sup>20,</sup> et nota quod cibo exiftente in stomacho nec aquam diureticam nec firupum [29] dabis quia haec cogunt cibum indigeftum exire vel digeftionem retardant. <sup>21,</sup> debet autem medicus a principio morbo cum digeftivif<sup>30</sup>] obviare<sup>31</sup>] cum nec operatio debeat mutari cuius est minister. 22, confiderata ergo egritudinis caufa variantur digeftiva humorum. Nam si colera<sup>[32</sup>] vel alius humor calidus et ficcus fuerit in caufa<sup>[33</sup>] da firopum acetosum vel siropum rosarum vel violarum. si melancolia naturalis<sup>34</sup>] vel colera vitellina<sup>35</sup>] maxime in hieme. da oximel [36] nifi forte natura faciat febrem continuam et tempus fit caloris [37]. 23, haec etiam dentur donec figna digeftionif appareant, item in fingulif diebus medicationif figna digeftionif attendere et opera debes. quia si in eif maior melancolie copia creverit. diutius eif infistetif. si vero venter fluat lenibus et forbilibus infifte ut aque decocte violarum. prunorum et male. ratio enim mutanda eft cum materia uaria regnat. Aquam diureticam contra calidam materiam<sup>38</sup>] da <sup>24</sup>, tempore calido et etate

[18] Gal. de san. tuenda L. V. K. VI. p. 361.

[19] Hipp. Aph. I. 4. Gal. Comm. in h. I. XVII. P. II. p. 368 - 69.

[20] De victu in his casibus auctor consulaisse videtur, sed cum grano salis, Galeni Therap. meth. VIII. c. V. K. K. p. 575. ("Cibandi vero deinceps his sunt" etc.)

[21] Inedia corpus enim exsiccat Gal. ars med. c. XXV. K. I. p. 373.

[22] Gal. de alim. fac. II. c. XXXI.

[23] Hipp. de affect. K. II. 422. de diaet. II. K. I. p. 689. - Gal. de simpl. med. temp. K. XII. p. 115.

[24] Gal. de alim. fac. c. XXIX.

[25] Pinguedo res calida Gal. de usu part. IV. c. S. K. III. p. 2S2. conf. Hipp. de affect. K. I. p. 423. aliter sentientem.
[26] Farina Hipp. de diaet. L. II. K. p. 672. 676.

[27] Plisana in morb. ac. omnibus praeferenda Hipp. de diaeta in acut. K. II. p. 30. - Gal. de ptisan. K. VI. p. S17.

- [28] Panis Hipp. de diaet. Lib. II. p. 675.
- [29] scil. purgantem.

[<sup>30</sup>] Gal. Comm. in Hipp. de humor. I. K. XVI. p. 64.

[31] Scriptura hoc loco fere plane vetustate evanuit: ita ut tantummodo conjectura verba assequi licuerit.

[32] Gal. de simpl. med. temp. et fac. L. X. c. 13. K. XII. pag. 275. "Hic humor omnium quae in quoque sunt animalium calidissimus" etc. Gal. de humor. K. XIX. pag. 486.

[<sup>33</sup>] "da siropum — violarum" litteris fere evanidis: lectio tamen certa. Ecce Arabum vestigia aperta! Usus tamen horum medicaminum causas apud Veteres, mulsue quidem acetosae v. Gal. Comm. in Hipp. de diaet. ac. K. XV. p. 683., rosae Gal. de simpl. med. temp. K. XII. p. 114. et XI. p. 558. 700 seq., violae Gal. eod. lib. K. XI. p. 889.

[<sup>34</sup>] Gal. de atra bile K. V. p. 104. 148. "Atrae bilis 4 sunt differentiae. Una enim est ex sanguinis faece, altera ex bilis flavae assatione, tertia bituminosa, quod bituminis instar splendet, quarta autem sanguinea. Gal. de humor. K. XIX. p. 490. siccam et frigidam esse Gal. defin. med. XIX. p. 364.

- [35] Gal. de natur. facult. L. H. K. H. p. 135.
- [36] Hipp. de vict. rat. in ac. K. II. p. 61. seq. Gal. Comm. in Hipp. de diaet. ac. K. XV. p. 498.
- [37] Scriptio quidem fere evanuit, sed textus tuto restitutus.
- [38] Diuretica sunt frigida et sicca. Hipp. de affection. K. II. p. 422. 424.

calida. de femine citreoli. melonum. cucurbite [<sup>39</sup>]. sed in frigido tempore et etate frigidiori contra materiam frigidam da aquam decoctam feminum apii [<sup>40</sup>]. petrofelini. feniculi. fparagi [<sup>41</sup>]. brusci [<sup>42</sup>] vel radices eorum si vero in estate de frigida materia laboraverint vel in hieme de calida tam ex calidif quam frigidif aqua diuretica preparetur. <sup>25</sup> Item fi uiderif ftatum [<sup>43</sup>] effe remotum nullo modo purgare praefumas.

<sup>26</sup>, Item in flebotomia [<sup>44</sup>] attende tempuf morbi. tempuf anni. uiref et etatem egroti. <sup>27</sup>, et a principio autumpni uíque ad principium verif a finiftro brachio detrahe fanguinem [<sup>45</sup>]. A principio autem verif [<sup>46</sup>] a dextro. <sup>25</sup>, et propter paflionem cerebri venam incide cephalicam. pro morbo fpiritualium medianam. pro egritudine nutrimentorum epaticam [<sup>47</sup>] et cum egro flebotomaveris omnibus curif fecuritatem inducas. <sup>29</sup>, fanguinif colorem [<sup>48</sup>] attendaf ut fi fieri poteft tamdiu detrahatur sanguif donec color malus mutetur in bonum. <sup>30</sup>, et (si) de cephalica vena inciditur. caput facies collum fricentur et premantur pectus fpatule et ut tus fiat precipe. fi vero epatica. manibus fricentur et eius partes in qua fuerit flebotomia eciam aliquantum fubleventur. dum vero fanguif exit e naribus appone aquam rofarum vel violarum vel mirtum [<sup>49</sup>] secundum quod tempuf anni exigerit. vel aqua frigida rora faciem. <sup>31</sup>, eciam fanguine fufficienter detracto et ligato brachio. manum tuam aqua frigida infusam fuperpone brachio ubi non eft ligatum uíque ad humerum. hoc enim venientem repellit fanguinem et illius partif tumoremprohi bet. <sup>32</sup>, hoc facto [<sup>50</sup>] mulfam siropi violarum vel rofarum da cum aqua frigida nifi egritudo fit renovata. quod fi fuerit da penidiaf [<sup>51</sup>] diftemperatas in aqua ordei. si vero non fuerit dabif eciam lac amygdalarum vel micam panif refolutam in aqua. <sup>33</sup>, debet eciam aer fieri obscurus et infrigidari [<sup>52</sup>] si naturaliter est calidus.

<sup>34,</sup> Datif ergo digestivif attende in diebus iudicationif quid et unde natura operetur<sup>53</sup>] et fi ante diem criticum nulla digeftionif figna viderif. fciaf in die cretico vel non futuram crifin vel fi fiat fiet in finthomatif.<sup>54</sup>] unde nifi precedente opere naturae non danda eft medicina<sup>55</sup>]. <sup>35,</sup> fed nec

[<sup>39</sup>] Semina medio aevo vocata "frigida majora". Conf. Gal. de alim. fac. c. III. - VI. K. VI.

[40] Gal. de simpl. med. temp. V. c. XIII. K. XI. p. 747.

[<sup>41</sup>] Gal. de alim. fac. II. c. LVIII. K. VI. p. 641.

[43] Status = acme. Regula ex mente Hippocratis.

[<sup>44</sup>] Gal. de cur. rat. per V. S. K. XI. p. 250. — de Ven. sect. K. XIX. p. 519. sq. — Therap. Meth. L. K. X. p. 624. — Pseudo-Hipp. ad. calcem libr. de V. S. K. XIX. p. 527.

[45] Sequentes regulae omnes legibus methodi Hippocratis derivatoriae accommodatae profluunt ex Galeni anatomicis notionibus. Cf. Gal. de anat. admin. III. c. v. K. II. p. 373 sq. Gal. Comm. in Hipp. de humor. K. XVI. p. 137 seq.

[46] Gal. de sanitate tuenda L. II. c. XII. K. VI. p. 375.

[<sup>47</sup>] V. epatica = basilica.

[48] Hipp. de diaeta in ac. II. 10. Gal. Comm. K. XV. p. 534-35. - Gal. Comm. in Hipp. de humor. K. XVI. p. 140.

[49] Myrtorum decoctum adstringens ad haemorrhagias laudat Gal. Therap. meth. L. H. K. X. p. 330.

[50] Hoc facto scil. peracta venae sectione.

[51] Penidiae: Praeparatio obsoleta pharmaceutica ex sacharo cum albumine ovi soluto et in formam peniculi redacto.

Antidotus e Penidiis (Nic. Myreps. antidotar. ed. H. Stephani Sect. I. c. XCVII.) passim in Comp. Salern. occurrit.

[52] Aer frigidus refrigerat. Gal. de progn. ex puls. 1. K. IX. p. 225.

[53] Gal. Comm. in Hipp. de humor. L. H. Kühn XVI. p. 229. "Ceterum in judicationis modo solum spectandum est quo natura vergat."

[54] Hipp. Prognost. K. I. p. 116. - Gal. de Cris. K. IX. p. 750.

[55] Hipp. Aph. XXIV. - Gal. Comm. K. XVII. II. p. 446.

eciam fi tota materia expulfa eft vi naturae<sup>[56]</sup> cum perfecta expulfio cognofcitur per urinam tenuem<sup>[57]</sup>. per pulfus inanitionem. et per bonum appetitum. et per nocturnam quietem. <sup>36,</sup>fed quia quidam egri avaritie inebriati ueneno dum uident fine medici auxilio naturam triumphaffe de morbo meritum medici retrahunt pariter et retardant dicentef quid fecit medicus? natura. iniqua opinione. firupif unctionibus fomentif uideamus falutem inducere<sup>[58]</sup> quam dedit natura et in alterius intremus laboref dicentef morbum poft facturum graviorem infultum nifi ei per medicinam fucurratur. et fic quod natura fecit imputabitur medico.<sup>37,</sup> fi vero facta fit purgatio vi nature fed non perfecta<sup>[59]</sup> iuua naturam purgando unde natura cepit<sup>[60]</sup>.

<sup>38</sup> Sunt autem diversa figna crifis future [<sup>61</sup>] secundum positionem materiei. Nam fi fuerit in ore ftomachi mordicatio [<sup>62</sup>]. ftomachi abhominatio. pruritus labiorum. citatio labii inferiorif [<sup>63</sup>] tinnitus aurium. dolor maior in fronte. crifim futuram per vomitum fignificat. fi vero dolor eft inteftinorum inflatio ventrif et laterum grauitas maxime ab umbilico. inferius per fecessime [<sup>64</sup>] crifim expectabis. fi uero lumborum dolor augeatur egritudine medicina exeunte per urinam [<sup>65</sup>] fiet crisis. maxime fi protensus eft tumor et grauitas. fi uero in ano nimia mordicatio et punctura crifis intensius fit per emorroidas [<sup>66</sup>] maxime fi eas confueuit habere. in muliere vero per menstruum [<sup>67</sup>]. fi gravitas eft lumborum et femorum et coxarum et fi tempus menstrui aderit. dolor uero frontis. venarum temporum extensio. perturbatio uisus. pruritus narium fluxus [<sup>68</sup>] fanguinis e naribus oritur. superficiei corporis mordicatio faltus et quaedam jactatio et in superficie maior calor fudorem [<sup>69</sup>] promittunt. et de his omnibus certiores erimus adueniente die cretico indicato. fi in praecedenti indicato talia emersere figna. <sup>39</sup> nomitus cum futurus. dato firopo acetoso[<sup>50</sup>] vel sola aqua calida uel frigida digitif uel penna ori intermisfa iuva naturam. Si uero per fecessum. moueatur uenter cum oleo uiolarum [<sup>71</sup>]. cathaplasmetur cum maluif et semine lini. fenugrece [<sup>72</sup>], si per urinam. da diureticum fi per emorroidas prouoca eas. fimiliter fi per menstrua uel per fluxum fanguinis e naribus, et idem

<sup>[56]</sup> Hipp. Aph. I. 20. Gal. Comm. K. XVII. B. 436. sq. Hipp. de humor. c. 13. (K. I. pag. 125.) — Gal. Comm. in h. l. K. XVI. p. 254.

[57] Haud turbidam vel jumentosam.

[58] Nec Hippocrates tamen nec Galenus hoc in casu quidquam agendum esse docent. Aph. I. 20. Gal. Comm. in Hipp. de humor. (K. XVI. p. 256.)

[59] Gal. de dieb. decret. L. I. (K. IX. p. 776.)

[60] Hipp. Aph. I. XXI. Gal. Comm. k. XVII. P. II. p. 439. - Hipp. de humor. K. I. p. 125.

[61] Conf. Hipp. Prognost. ex toto. Galen. de Cris. c. XI. (K. IX. p. 752 sq.)

[62] Hipp. Progn. K. I. p. 117. Gal. de cuis. K. IX. p. 764.

[63] Lapsu calami, pro agitatio. Conf. Gal. Comm. in Hipp. de hum. K. XVI. p. 229.

[64] Negat Gal. de Cris. K. IX. p. 766. signa directa crisis per secessum.

[65] Gal. de Cris. K. IX. p. 762.

[66] Gal. de Cris. IX. 767.

[67] Ibid.

[68] Hipp. Progn. K. I. p. 118. Gal. de cris. IX. p. 763. 765.

[69] Pseudo-Gal. Prognos. experta etc. K. XIX. p. 516. (pulsus vero omittitur, in quo G. est multus.)

[70] Scripserat quidem Avicenna paullo ante de syrupi acetosi usu, vix tamen credam libellum Salernitanis scripti tempore iam innotuisse.

[<sup>71</sup>] Oleum violarum a Galeno non commemoratur: nec violae vis ventrem movendi ab eodam tribuitur de Medicam. temp. et fac. K. XI. p. 889.

[<sup>72</sup>] Foenum graecum, Tηλις, Trigonellae Foenum graecum L. semen emolliens ad pravos humores, qui in intestinis habentur, subducendos Galen. de aliment. facc. I. c. XXIV. (K. XI. p. 538.)

2

faciel fi per fudorem. fed fi de facili confueuit fudare non eft multum cooperiendus. <sup>40,</sup> et nota quia in uere faepius expectare debes crifin futuram per fluxum fanguinis. unde tunc maxime fuccurrendum eft cum flebotomo [<sup>73</sup>]. in estate per fudorem uel uomitum. in autumpno et hieme per urinam uel feceffum [<sup>74</sup>]. <sup>41,</sup> Item nota quod in eftate facienda eft conputatio fepius per tertianarium. maxime fi fortif fit egrotus et materia pauca. In hieme autem per quaternarium et maxime fi eger fit debilif et materia multa [<sup>75</sup>]. et in estate potius purganda eft per decoctum. in hieme per ficcam materiem [<sup>76</sup>].

<sup>42</sup>. poftquam autem ad conualefcentiam<sup>[77</sup>] deuenerit paullatim ingroffanda eft diaeta et mutandus eft aer maxime in eftate ubi fit in fuperiori et puriori. et fi aer fit corruptus uel ex paludibus uel ex ftagnif<sup>[78</sup>]. accendatur ignif in domo ubi occupetur. <sup>43</sup>, detrahendus est quandoque fanguis in conualescentia. fi non conualuerint de facili propter malorum humorum<sup>[79</sup>] reliquiaf. <sup>44</sup>, balneandi<sup>[80</sup>] funt etiam et ungendi oleo rofaceo<sup>[81</sup>] et uiolaceo <sup>45</sup>, et poft balneum dandus ei eft firopus rofarum uel uiolarum uel zucara rofata<sup>[82</sup>] cum frigida. et aquam rofarum<sup>[83</sup>] odorent<sup>[84</sup>] et fpargatur fuper faciem et in uolis manuum et fuper loca pulfuum.

<sup>46</sup>, debent eciam tam in egritudine quam in conualefcentia praefentef effe coaequi et de confuetif loqui et confuetof ludof coram eo exercere. <sup>47</sup>, et interim medicuf abfit. fed tandem ingrediatur hylari uultu dicens. Ecce quanta dixistif. qualiter lufiftif. a modo de nobis non curatif. cito dimittemus uof cum gaudio et profperitate. et <sup>48</sup>, fi hoc modo melius fe habuerit paulatim facite eof reluitu. et tandem de petenda licentia confulo ut eius qui familiarior eft egro a principio fauorem adquiraf et ei te et tua omnino exponaf. quod quantum fit utile uidebif. <sup>49</sup>, Impetrata ergo licentia quanto poterif diligentius et circumfpectius et quanto poterif honestif promiffionibus uade in pace Christo duce.

[73] Hipp. Aph. VI. 47. Gal. Comm. K. XVIII. I. p. 78. 161.

[<sup>74</sup>] Hippocratis (Aph. IV. 4.) sententia, "aestate superiores, hieme inferiores ventres purgandos esse" nititur auctor.
[<sup>75</sup>] An huc Hipp. Prognost. K. I. p. 111. sq. ? — Gal. de diebus decret. I. c. XI. (K. IX. p. 818.)

[ ] An and mpp. Hognost, A. I. p. III. sq. : - dat. de diebus detret. I. e. Al. (A.

[76] Supra lineam ms.: siccas materias.

[77] Gal. ars med. c. 37. K. I. p. 405. — de praenotione K. XIX. p. 508 seq. — de constitut. art. med. c. 19. (K. I. p. 300 sq.)

[76] Gal. de differ. febr. I. c. VI. (K. VII. p. 290.)

[79] Sanguinis detractio propter humorum pravitatem necessaria. Gal. de sanit. tuend. L. IV. c. 4. (K. VI. p. 256.)

[80] Balneum in febris declinatione Gal. therap. Meth. L. X. c. 10. (K. X. p. 710.)

[<sup>81</sup>] Ol. rosaceum, Gal. de simpl. Medic. temp. et sec. L. II. c. XXVII. (K. XI. p. 537, 421.)

[82] Zuccara rosata Arabici quidem originis medicamentum (sublaxativum) non Arabibus sed Italis proprium est: de quo cf. Nicolaus Myrepsicus de comp. Med. Sect. I. c. CLII. ed. H. Stephani p. 393. et. 776. Sacharum nimirum officinarum L., veteribus plane ignotum, Arabis Zucra vocatum a Saracenis in Sicilia introductum a Normannis ibi ante sec. XII. medium iam uberrime sub dio colebatur.

[83] De aqua rosarum infusa, vix de destillata sermo hic est.

[<sup>84</sup>] Rosarum odor Arabis Persisque gratissimus a Galeno iis tantum quibus caput dolet commendatur. De odor. instr. K. II. p. 870.

# COMPENSION POID DE PRAXI MEDICA SALERNITANA PER COMPENDIUM SALERNITANUM ET LIBELLUM "DE ADVENTU MEDICI AD EGROTUM" ILLUSTRATA.

11.

**R**erum veteris Salerni medicarum cognitio, licet egregie olim a cl. Io. Chr. Gl. A ckermanno instaurata multis tamen numeris imperfecta diu jacuit, donec Codex pretiosissimus Vratislaviae ad aedem S. Mariae Magdalenae asservatus cui nomen nobis detectum est Compendii Salernitani nuper innotuit; de quo iam alio loco<sup>\*</sup>) verba fecimus, hic vero denuo disputare cogimur, quum memorabilem libellum, Salernitanae scientiae testem, ex eo depromptum hoc opusculo sub lucem edituri sumus.

Ex quo autem codex ille repertus est, nova tanquam lux cum scholae Salernitanae tum totius medii quod dicitur aevi medicinae, quippe quae primum hac aetate in schola ista ad artis normam explicari atque conformari coeperit, per eum affulsit. Nam eo non modo magna commentationum medicarum a nemine adhuc commemoratarum silva innotuit, quarum aliae et novitate et pretio iis, qui medii aevi historiam tractare volunt, gravissimae esse debent, aliae, typis quidem iam antea impressae ac notae, nunc primum textu principali hic illic locupletiori litteris expressae prodeunt: sed etiam de scholae Salernitanae rebus, de doctrina ac doctoribus, de ambitu et ratione artis medicinae longe alia sententia in eius locum, quae adhuc in libris de medicinae historia scriptis circumferebatur, substituta est ac praecipue aliquot errores, qui e Sprengelii, viri ceteroqui de medicinae historia meritissimi, operibus in opinionem vulgarem transisse videntur, correcti sunt.

Ita Sprengelio auctore creditum est, Salerni et Casini (Monte Casino) usque ad saeculum XII medicinae in universum atque inprimis naturam fuisse quodammodo religiosam h. e. solam in adhibendis remediis ecclesiasticis et in venerandis viris sanctis eorumque reliquiis positam: quod falsissimum videtur. Fuit quidem revera medio aevo semper arcta inter medicinam et religionem connexio: illa enim nihil fere erat nisi disciplina ex antiquitatis solo in terram Christianam a Christianis translata ac denuo culta; nec defuit haud dubie aetate imprimis apostolica tempus, quo in religione sola, ut sanis, ita multo magis aegrotis refugium erat et doctior quaelibet medicina, quia nisi a paganis mutuari non poterat cum aliis, quaecunque pagana erant, reiiciebatur; nec deinde aliud,

<sup>\*)</sup> Janus, Zeitschrift f. Gesch. u. Lit. d. M. I. Bd. p. 40, 74, 300.

quo Patres ecclesiastici latini, v. c. Tertullianus et Lactantius ex praecepto isto Christi: "Beati pauperes spiritu" omnem eruditionem repudiarent efficerentque, ut iis denique temporibus, quibus monasteria florebant, hominum salus maxime in ecclesiae caerimoniis ritibusque quae-At manca ista ac solivaga doctrinae christianae cognitio atque contemplatio, qua omnis reretur. animi cultura vi coercebatur, tantummodo tam diu valuit, quam ecclesia ipsa pugnis atrocibus et fanaticis contra paganos locum suum atque auctoritatem firmaret necesse erat. Quae ex quo victrix e certaminibus evaserat et per se consistens magis magisque imperium suum dilataverat, ut non modo nihil esset, quod honestarum artium atque literarum studia, quibus pagani plurimum pollebant, extimesceret, sed causae potius essent, cur ea expeteret, curatio per ecclesiam sensim reliquis medendi methodis cedere coepit: nec amplius, licet saepe in vitae discrimine in usum vocaretur, sola fuit, ad quam confugere homines solebant. Quod luculenter e codice Salernitano supra commemorato cognoscitur, in quo quidem passim de remediis ecclesiasticis agitur, neque tamen ita, ut ecclesiasticam medendi methodum quasi primariam fuisse, qua quaevis alia supervacanea redderetur, statuere nobis Idem ex aliis quos cognovimus, codd. Silesiis usque ad saec. XIII. scriptis et maxime liceat. quidem e narratione (vel ut nostrates dicunt Legenda), quam illi praebent, de St. Hedwigi apparet, ubique in morbis primo remedia artis medicinae, ecclesiastica vero solum tum demum adhibita esse, quum hominum auxilium nihil egisset et aut medendi scientia aut cognitio medicamentorum popularis media aetate magnam vim habens opem salutemque denegasset. Si igitur scriptores monachici et ad Dei gloriam celebrandam et ecclesiae studio capti praecipue miracula per ecclesiam Salerni et Casini facta tradunt, talia ad ipsorum mentes referenda sunt, quippe quum eorum nihil interesset, ut medicina profana praedicaretur; nequaquam vero ex eo efficitur (in qua sententia Sprengelius fuisse videtur), curationem per ecclesiae sacramenta sanctorumque reliquias quamcunque aliam medendi methodum exclusisse et iuxta se nihil aliud, quam inscitiam habuisse. Imo Neapolitanum utrumque Benedictinorum monasterium paene inde ab origine sua, Casinates certe inde a saec. VI., Salernitanos inde a saec. IX. medendi scientiae operam dedisse iam diu constat: ac nobis quidem persuasum est, scholam Salernitanam iam saeculo X. in sigillo nomen "Civitatis Hippocraticae" habuisse atque etiam nunc nonnullos eius periodi scriptores medicos superesse. E quattuor enim diversarum nationum magistris, qui ibi secundam chronicam ab Ant. Mazza inspectam\*) medicinam docebant, Graecorum Magister Pontus mea quidem sententia a notissimo illo Garioponto (Carioponto) non differt, Copho vero, cui in compendio Salernitano magnae partes tribuuntur, fortasse idem est atque magister Hebraeus, Rabbi Elinus, qui nomen Koph, sicut litera hebraica, cognomen Eli habuit\*\*). Sed Sprengelius, quia medicinam Salernitanam utique ecclesiasticam fuisse sibi persuasit,

') cf. Libell. nostr.: Zur Gesch. d. Med. in Schlesien 1837. I. p. 20.

") Eius etiam qui "Magister Salernus" hac in chronica vocatur non vestigia solum sed opera in Compendio Salernitano deteximus. Canit enim Aegedius carm. de compos. med. l. 1. v. 835—838 de Benedicta:

Ante datis divisivis radicibus, herbis,

Gummis, seminibus, quibus est diurtica virtus

Ordine sub certo, quorum foecunda Salerni

Pagina describit similem distincta columnis etc.

quibus versibus aperte ea indicatur commentatio, quae est in Compendio Salernitano nostro binis columnis scripto fol. 197 sub titulo "Liber de confectione medicinarum". Explicatur enim gravissimo hoc libello imprimis ordo quo compositiones de culturae Salernitanorum gradu ita fallitur, ut ibi demum, ubi de Aegi dii poetica Antidotarii Nicolai paraphrasi (sub finem saeculi XII. edita) agit, ex hac cognosci dicat, medicos Salernitanos secundum indicationes curasse\*). Quid quod vir doctissimus, cui Constantini opera satis nota, Alphanus II. et Romualdus, qui plus C annos ante Aegidium libros ibi scripserant haud ignoti erant, tamen illorum immemor ex Aegidii, scriptoris illis longe posterioris libro documentum repetit, quo Salerni aegrotos ex indicationibus curatos esse demonstret, quamvis iam Copho, qui haud dubie antiquissimis scholae Salernitanae medicis adnumerandus est, dudum plenam indicationum doctrinam ad Galeni praecepta compositam ediderat! At compendium Salernitanum et quod ex eo publicaturi sumus, abundans illud subtilissimis observationibus vel ad singulos quosdam morbos pertinentibus, de illa re omnem dubitationem tollit et ecclesiasticam tempore illius compendii medicinae profanae eique ad artis praecepta conformatae iamdiu cessisse docet.

Eodem simul alius Sprengelii error correctus est. Dicit enim vir doctissimus notissimum illud carmen didacticum versibus leoninis conscriptum, quod "Regiminis scholae Salernitanae" titulo circumfertur et nescio cui Ioanni Mediolanensi originem debere dicitur, luculenter satisque ostendere, qualis medicinae conditio aetate ista fuerit. Vix est quisquam, quin opusculum illud, quod iam ante Sprengelium Ackermannus, vir clarissimus, ab omni parte lustraverat, nomine saltem cognitum habet; ad quod respicere plerumque solet, quicunque de schola Salernitana verba facit, quasi ea illo praecipue significaretur atque repraesentaretur. Ex quo si iudicium faceremus, statuendum nobis esset, Salernitanorum medicinam quoad disciplina medica esse videretur, misera solum ex collectione singulorum praeceptorum ad diaetam pertinentium, quae versibus quidem inclusa, nullo autem vinculo inter se connexa erant, constitisse ac praeterea paene nihil continuisse, quo Salernitanis iustam doctrinam medicam fuisse probaretur! Haud quaquam quidem negamus, eam medicinae partem, quam Graeci διαιτητιχήν nominarunt, apud Salernitanos saec. XI. quoad medici Hippocratis vestigia presserint, plurimum valuisse, donec saeculo XII. pharmaceutices, saec. XIII. ad chirurgiae studium potissimum in praxi se convertebant. Itaque brevi illo tempore, quo schola Salernitana floruit, medicinam eodem ordine progressam atque explicatam videmus, quo in antiquitate ea olim exculta erat: nimirum a religiosa medicinae orientalis natura profecta viam diaetetices graecae h. e. Hippocraticae ingressa est ac postremo ad chirurgicam rationem medicinae Romanae processit. Sed partem diaeteticam inter medicos istos solam vel prae ceteris floruisse, ut ea tanquam nota esset, qua medici Salernitani saeculi XI. cognoscerentur ac signarentur, non magis concedere possumus, quam supra ecclesiasticam medendi methodum Salerni praevaluisse concessimus. Compendium Salernitanum, quo coniecturis quibuscunque finis imponitur, egregie ac luculenter docet, quod sane respectis operibus a Garioponto, Cophone et Constantini Africani relictis sciri poterat, Salernitanos iustam plenamque doctrinam medicam neque solam partem diaeteticam iam ab initio habuisse nec ullam reperiri disciplinam medicam, quae apud eos tum instistutione tum literis et ex parte quidem ratione haud contemnenda non exculta fuerit.

Salernitanae in conficiendo invicem commisceri debeant: nec igitur dubium videtur, quin Magister Salernus eius sit auctor, simulatque probatur, codicem nostrum vetustissima continere scripta!

<sup>&#</sup>x27;) Gesch. d. Med. II. p. 496.

Cuius rei documentum luculentissimum codex noster praebet, quo triginta et quattuor com-

mentationes ad omnes medicinae partes pertinentes continentur: scilicet una ad anatomen et physiologiam, duae ad pathologiam generalem, octo ad semioticen spectantes (quarum duabus de pulsu, sex de lotio agitur), duae ad nosologiam, quinque ad materiam medicam, octo ad pharmacologiam et pharmaceuticen, quattuor denique ad therapiam specialem (ad doctrinam de febribus et morbis topicis) pertinentes doctorum Salernitanorum et notorum et ignotorum, auctorum nominibus mox omissis mox adiectis. Inter eos, quorum nomina adscripta sunt, aliquam famam habent Ioannes Platearius (qui in hoc libro multo antiquior prodit, quam vulgo creditum est), Copho, Matthaeus Platearius et clara ista Trotula di Ruggiero, quae in libris suis non modo ad gynaecologiam, sed ad universam therapiam spectantibus se medicam eruditam esse non celat. Primum vero innotescunt Petronius Mag., M. Ioannes Afflacius, Constantini discipulus, qui, si recte coniicimus, a Ioanne Medico vel Ioanne quem dicunt Mediolanensi, (cuius mentionem fecit Petrus Diaconus) non diversus fuit; item Mag. Bartholomaeus et M. Ferrarius. Qui viri antiquiores sunt illis doctoribus, quos Aegidius enumerat ipso priores, Brunone, Ricardo seniore, Castalio, Mauro denique ac Petro Musandino, ipsius Aegidii praeceptoribus, iique post Constantinum inde ab exeunte saec. XI. usque ad medium saec. XII. in schola Salernitana magistrorum muneribus functi esse videntur: eorum opera autem ab eo congesta sunt, qui compendium Salernitanum contexuit quique fortassis, - nam eius nomen nos adhuc latet - ex eorum numero fuit, quos supra commemoravimus. Quorum magistrorum corona operumque ab iis conscriptorum (in singulis quidem inter se differentium, in universum autem eadem ratione medica imbutorum et compositorum) summa sola medicinam Salernitanam significant Scholamque illam efficiunt atque repraesentant, quae veteris Salernitanae nomine digna fuit: nequaquam vero, ut supra monuimus, huc facit carmen illud praecepta de diaeta instituenda exhibens, hanc ipsam ob caussam tantummodo "Florum medicinae" titulo iam initio inscriptum, quod scientiae Salernitanae nihil nisi fragmentum idque exotericum continet et propterea compendio Salernitano, quippe quod historiae Salernitanorum accuratius cognoscendae insignite inserviat, nullo modo conferendum esse nunc apertum est.

Utrumque enim opus, Compendium et Regimen scholae Salernitanae omnino singularem ac prorsus inter se diversam rationem ad Salernitanorum doctrinam habere nobis videntur haec reputantibus. Primum enim mirabile est, quod compendium tam rarum est, ut nesciam, an exemplar nostrum unicum sit, quod aetatem tulit. Quod integrum et principali partium ordine servato perraro descriptum, typis nunquam impressum esse manifestum est. Nam singuli quidem libri eo comprehensi, v. c. liber simplicium medicinarum (Circa Instans dictus), Matth. Platearii glossa ad Nicolai Antidotarium, Ioannis Platearii Practica, Cophonis libri de modo purgandi et anatome, capita denique quae ad Constantini Africani, librum aureum" referri solent, in notitiam nostram pervenere: nunquam vero totum Compendium. Si vero ea, quae iam prius innotuerant, cum iis, quae compendio Salernitano continentur, quasi cum textu quodam principali, comparamus, illa ab his haud raro recedere, haec autem ubique pleniora, integriora, rectiora esse intelligimus. Atque quemadmodum ex eo, quod Compendium rarissimum est, eius textum principalem vix muros monasteria Salernitana cingentes transgressum et fortasse perpaucis tantum, ut describi posset, concessum esse concludi potest, ita ex manca eorum, quae nobis tradita sunt, conditione sequi videtur ------ 15 \*\*\*\*---

ut id non recta via, sed fortasse per fraudem in lucem protractum sit vel etiam ex iis, quae auditores in scholis Salernitanis ad magistrorum verba calamo vitiose exceperant, originem duxerit. Deinde partem diaeteticam, quam libere a Salernitanis pronunciatam esse et Regiminis istius versibus contineri scimus, in codice deesse, reliquas contra medicinae partes peculiaribus commentationibus tractatas esse mirum est: quo illud idque multo mirabilius accedit, quod etiam mirificum atque obscurum Nicolai Antidotarium in codice desideratur, pro eo autem liber supra commemoratus (p.13 not.) "de confectione medicinarum" inscriptus exhibetur, quo quasi clavis antidotarii exhibetur atque illud perspicuum redditur, quum secundum solum antidotarii textum nemo medicamentum ad eius formulas medicas parare possit, quin explicationes in libro "de confectione medicinarum" propositas in usum suum converterit. Similiter res se habet, si Ioannis Platearii librum de practica respicimus quippe cuius textus quidem typis exscriptus et satis notus sit, in Compendio autem alia veste splendeat h. e. multo dilucidior et commentario quasi illustratus prodeat. Inter singula enim capita interserta peculiaribusque titulis inscripta sunt ea, quae reliqui doctores supra commemorati Afflacius, Petronius, Bartholomaeus, alii in singularibus libris de medicina practica scriptis (nunc, si continuitatem respicimus, perditis) de eadem re docuerant, ita quidem, ut Platearii liber quasi linea, in quam tota Salernitanorum praxis collecta est, esse videatur ac paene corpus therapeuticum medicorum Salernitanum efficiat, qua re codicis titulus "compendium Salernitanum" bene munitur. Praebet enim universae Salernitanorum doctrinae compendium ita conscriptum, ut id maxime ad medicos instituendos et ad docendum in scholis idoneum esset: nec dubitari posse nobis videtur, quin liber re vera ita in iis adhibitus sit. Quae si omnia animo volvuntur, suspicionem movent, compendium Salernitanum praecipue eos libros continuisse, qui non tam in universi populi, quam in scholarum monasteriorum usum scripti erant nec unquam publici iuris fiebant, quia haud dubie monasteriorum intererat, capita gravissima et ipsis maxime peculiaria doctrinae saltem magna ex parte, ut aperte loquamur, celare atque occultare. Contra Regimen diaeteticum in publicum edebatur a scholae magistris politica ratione perductis Normannorum cuidam principi dedicatum, quo doctrinam suam populo commendarent: optime enim sciebant, libello isto quasi exotericam doctrinae partem eiusque fragmentum e fragmentis compositum publicari, quod intelligi non posset, nisi cum reliquis partibus, quas satis callide occultas habebant, coniunctum, quodque praecepta minus gravia atque illis potissimum utilia, qui medici non essent, contineret. Quare paullo post Aegidius in Prooemio carminis de compos. medic. 1-7, 17-24, Salernitanorum arcana patefecit, quum non diaeteticam, sed pharmaceuticam medicinae partem in illorum studiis principatum tenere libere confiteretur.

Quaerentibus autem quo consilio Salernitani ducti id studium prosecuti sint, praecipuam doctrinae quae Compendio Salernitano traditur partem maxime e graecis fontibus fluxisse, ita quidem, ut inprimis Galenus eiusque asseclae recentiores in usum vocati sint, facile intelligitur. Nec mirandum est quod Salerni, quae urbs et portu instructa et emporio florentissima praecipue mercatura cum Byzantinis coniunctissima fuit, homines plus graece quam in aliis (Occidentis) monasteriis sciebant, quodque hanc ipsam ob causam culturae Salernitanae forma iam inde ab initio graeca erat. Disciplinae graecae vestigia iam apud Gari op on tum extant ad Oribasium et Aetium, (apud Constantinum vel ad Rufum) referenda: eademque apud reliquos Salernitanorum magistros, quos supra memoravimus, certe Alexandri Tralliani et Theophili Protospatharii praecepta nos agnoscere sinunt. Bartholomaeus Mag. saltem (id quod in Jano I. p. 357. demonstravimus) optime graece scivit. Num vero Hippocrates ex alio fonte quam ex illis scriptoribus et maxime e Galeno notus fuerit dubitari potest; Dioscoridis contra libri haud dubie ut erant graece scripti a Matth. Plateario uberrime in usum suum sunt conversi. Vehementer autem dolendum est, quod melioribus istis elementis graecis alia eaque multo deteriora, quae e recentissimis pessimisque scriptoribus Latinis v. c. Apuleio, Marcello, Prisciano, (quippe qui doctrina christiana monachis propriores quam reliqui veteres scriptores essent), simul cum ipsorum superstitionibus hausta erant, admixta sunt. Praeterea arabica licet pauca non desunt. Quae eo illata esse videntur, quod et Constantinus Salernitanis scientiae Arabum medicae praestantiam ante oculos posuit, et frequenti gentium commercia magnaque militum crucigerorum copia e Palaestina redeuntium Salernique escendentium simul variae Arabum cognitiones artesque huc pervenerunt. Haud exigua denique in libellis istis Salernitanis eorum est multitudo, quae, etsi fundamentis nitantur ex antiquitate petitis, a Salernitanis ipsis excogitata vel iudicata vel experientia reperta sunt; ea vero aliquando diligentissime examinari debent, ut, quid eorum, quid antiquiorum medicorum sit, cognoscamus et iustum ac subtile de medicinae historia illius aevi iudicium facere queamus, in quam rem inquirere longum et a proposito nostro alienum est.

Quae quum ita sint, codice nostro, verae doctrinae Salernitanae argumentum saltem in universum cognitum habemus, singula autem posteris quaestionibus relicta sunt. Quum vero eodem,non Regimine Salernitano, qualis aetate illa medicinae Salernitanae conditio fuerit, tandem cognoscamus, quumque extra Salernum nullus, quod sciam, extiterit locus, quo medicinae studia ratione et consilio nixa, ampla et multum valentia exercita sint, simul et fundamentum, quo universam medii aevi historiam fulciamus, et modum, quo posteri temporis progressus metiri queamus, nanciscimur, qua re sola iam codicis nostri pretiam vix satis aestimari posset. Sed idem etiam aliud quoddam includit, quo eius pretium, ut mox intelligetur, valde augetur. Re enim diligenter perpensa, si codex ea tantum contineret, quae supra attulimus, nihil nisi materiam ad iudicium de historia et praecipue de scientia studii Salernitani generali faciendum exhiberet. Medicinae historia vero non solum historia cognitionum et dogmatum est: poscimus enim, ut ea non sola enumeratio chronologico ordine facta sit aut sententiarum, quae olim valuerunt, aut rationum, quas quilibet scriptores excogitarunt, aut cognitionum, quos homines aliquo tempore sibi compararunt, sed ut ea nos in conditionum universitatem, quibus animi quibuslibet temporibus usi sunt, inducat. Quod ut fieri possit, necessarium est, ut ea nobis scientiam pariter atque artificum consilia et verum usum practicum, quae singulis quibusque aetatibus vim habuerunt, patefaciat: nam medicina non minus scientia est ac disciplina, quam ars, (quae, ut hoc libere fateamur, vel totius medicinae cuiuscunque temporis finis est), quare eius historia et artis et scientiae historia sit necesse est. Fortassis aliquis censeat, ubi expositum sit, qualis hominum cogitandi ratio aliquo tempore fuerit et quid iidem sciverint, ibi etiam eorum agendi rationem facile perspici posse, sed is ne fallatur caveat. Nam plurimi libri, quibus praxis temporis cuiusdam tractatur, tantummodo rationes et praecepta, ex quibus medicis agendum fuerit, non ipsas actiones vel modos, quibus praecepta illa observata sint, exhibent, neque quae e multis remediis contra aliquem morbum propositis in usum vocari solita sint, docent: consilium vero, quod exsequi consueverint, h. l. imprimis spectandum est. Sed omnium historiae medicinae partium ea minime exculta est, qua de ratione uniuscuiusque aetatis practica agitur. Est enim illa omnium difficillima, primum, quia momentum practicum non, ut res gesta, ante ipsos oculos positum

est, sed conclusione ex iis, quae proposita sunt, reperiri debet, itaque a cogitandi facultate eius, qui conclusionem effecit, pendet h. e. incertum est; deinde quia idem ne satis certo quidem e materia ad docendum proposita lucrari possumus, quum saepissime, ne dicam semper, permultum inter scientiam et actionem intersit, atque haec in singulis casibus longe alia sit, quam ex illa exspectari potuit: quae ratio praecipue media aetate (cf. libell. nostr. Schles. Wissensch. Zustände im XIV. Jahrh. p. 62—65.) valuit. Libellus igitur, quocunque tempore scriptus est, quo momentum illud practicum exponitur, ad tempus illud cognoscendum fructuosissimus erit, maxime, si media aetate scriptus est: nam multo pauciora habemus instrumenta, quibus huius aevi rationem agendi, quam quibus cogitandi rationem mente assequamur.

Eiusmodi vero libellum ad historiam medicinae Salernitanae et totius medii aevi pertinentem raro ac fausto casu in Compendio Salernitano deteximus et supra typis imprimendum curavimus. Extat in codice fol. 184 proxime ante Cophonis librum de corporibus purgandis, hoc titulo signatus : De adventu medici ad aegrotum, duas fere paginas explet, multis compendiis atque atramento pallido, quod passim fere prorsus evanuit, scriptus. Auctoris vero nomen deest, nec unde id cognosceremus, in libro indagare potuimus, nec librum ipsum in ullo codicum Mss. catalogo, quotquot inspeximus, citatum reperimus. Si is vero nobis insciis aliquo loco commemoratus vel etiam typis excussus sit, haudquaquam nos poeniteat eum h. l. iterum ex textu principali edidisse, quum eum adhuc nusquam ad medicinae historiam relatum viderimus et etiamnunc ea valeant, quae olim (in Jano I. p. 308) affirmare non dubitavimus: inter tot mediae aetatis libros nullum reperiri, ex quo melius ac dilucidius cognosci possit, qualis practica medicinae exercitatio fuerit, quam ex Compendio Salernitano. In quo enim quum auctor primum medici accessum ad hominem morbo acuto laborantem descripserit simulque docuerit, quo modo et ipse se gerere et ex artis regulis agere debeat, quasi imaginem nobis exhibuit rationis practicae, qua Salernitani aegrotos curarunt. De qua in nullo quod sciam, libro typis impresso tam aperte ac distincte, quam in Compendio nostro, disputatum est, sed adhuc tantummodo coniecturae in medium prolatae sunt, quas maximam partem falsissimas esse nunc ex illo apparet.

I. Libellus noster memorabilis in partes et capita quidem non divisus est, sed si argumentum medicum spectas, septem res praebet, quae praecipue in disputationem vocatae sunt. Sunt vero haec: I. Medici introitus. II. Exploratio aegroti. III. Constitutio rationis cibandi. IV. Medicatio ante crisim. V. Curatio insequens ratione crisis habita. VI. Recreatio ex morbo. VII. Agendi ratio in fine curationis. Videmus igitur librum ad logices regulas dispositum esse, qui, si accurate circumspicitur, hoc argumentum praebet.

I. Ante introitum medicus, si dei auxilio fretus ad aegrotum pervenit<sup>1</sup>, primum exquirere debet, quae de aegroto eiusque morbo scire eius interest<sup>2</sup>: deinde, ubi urbane atque comiter intravit, ex aegroto quaerat, num coram sacerdote conscientiae consuluerit<sup>3</sup>, eique suadeat, ut id quam citissime faciat, si nondum factum est.

II. In exploratione aegroti praeter eius interrogationes spectanda sunt arteriarum pulsus et lotium. Ars pulsus<sup>5-7</sup>, explorandi secundum omnes cautiones h. e. aequi animi, tranquillae respirationis, situs corporis, temporis per quod exploratio pulsus mansit, generis denique pulsus ratione habita commendatur. Eodem modo in examinando lotio<sup>8,9</sup>, color, substantia, quantitas et qualitas tractantur et quid medico post explorationem agendum<sup>10</sup>, sit exponitur.

3

III. Ad aegroti diaetam quod attinet, docetur: primum, quibus conditionibus aegroto cibos sumere liceat, id quod praecipue in morbis intermittentibus<sup>14</sup>, diligentius consideratur, in quibus tempus apyrexiae, remissionis et quod paroxysmum praecedit sequiturque respicitur; deinde quid et quantum edere aegroto liceat, in qua re nec morbi genus, nec anni tempus, nec aetas atque consuetudo aegroti<sup>15-19</sup>, nec symptomata singularia<sup>16-29</sup>, v. c. obstructio vel alvi lenitas, et inedia (in qua ne remedia porrigantur evacuantia monetur<sup>20</sup>,) negliguntur.

IV. Medicamentorum constistutio et ipsa curandi ratio pro tempore duplex est.

A. Ante crisin enim maxime in duabus rebus posita est, 1, in administratione digestivorum, 2, in adhibenda sanguinis missione.

1. Curatio naturam adiutura incipit a digestivorum<sup>21-23</sup>, (ex mente veterum) usu pro ratione humoris, qui subesse possit, pathogenetici, cui aut calida (colera,  $\chi o \lambda \eta$ ) aut frigida natura (melancolia  $\mu \epsilon \lambda \alpha \gamma \chi o \lambda i \alpha$ ) tribuitur, sed bipartito tantum, ut aut externae rationes congruentes (calidas vel frigidas) aut contrarias (v. c. calidam frigido, frigidam calido tempore) adesse posse statuatur. Pro variis morborum rationibus, quae subesse creduntur, digestiva ad curandum idonea proponuntur quae maximam partem e remediis simplicissimis constant v. c. in bili flava, ubi causa est, syrupis rosarum, violarum et aceti.<sup>22</sup>. Praeterea pro ratione calidi temporis et calidae materiae febris potus diureticus e seminibus quae dicuntur frigidis Cucurbitacearum compositus, contrariis autem conditionibus valentibus potus e seminibus calidis (oleoso-aethereis Umbellatarum) paratus<sup>24</sup>, et ubi materiae qualitas temporis qualitati repugnat, aqua e frigidis calidisque remediis commixta praecipitur <sup>23</sup>. Quae digestiva porrigenda sunt, donec coctionis vel digestionis signa apparent; ubi vero febris materia mutata est, commutanda sunt. Quam diu autem crisis procul abest, nullo modo alvum purgare licet<sup>25</sup>.

2. Praeterea sanguinis missioni aliquantum ponderis tribuitur eaque in plerisque morbis a Salernitanis admissa videtur, sed pro morborum diversitate e diversis vasis, v. c. in cerebri morbis ex cephalica, in respirationis affectionibus e mediana, in malis intestinorum e basilica<sup>28,</sup> et quidem auctumno usque ad vernum tempus in sinistro, vere usque ad auctumnum in dextro brachio instituta est<sup>27,</sup>. In qua sane respici debent morbi tempus, aetas et vires aegroti<sup>26,</sup>; sanguis autem eo usque emittendus est, donec alium eumque meliorem colorem<sup>29,</sup> ascivit. Diligenter simul ratio describitur, qua sanguinis missio maturanda et post eam analepsis et repulsio sanguinis<sup>30,</sup> instituenda sit.

B. Post digestivorum usum diebus indicatis exspectandum est, quo natura tendat. Quae si ante diem criticum nullum digestionis signum prodiderit, aut nulla aut symptomatica tantum crisis aderit. Nec remedium ullum (evacuans) porrigendum est ante, quam signum criticum praecessit<sup>43</sup>, nec postquam crisis materia febris sponte expulsa praeteriit<sup>55</sup>: in quibus casibus medico tantummodo auxiliantis species tenenda est<sup>36</sup>. Ubi crisis imperfecta fuit, naturae opus ea purgationis via est continuandum, qua ipsa incepit<sup>37</sup>. Itaque prout certis istis diebus e signis (quae h. l. describuntur), utrum natura vomitu, alvo soluta, lotio, haemorrhoidibus an menstruatione, epistaxi, sudore crisim efficere velit<sup>38, 39</sup>, cognitum est, eius opera remediis idoneis (notissimis et simplicissimis) est sublevanda. Sed pro diversis anni temporibus diversa ratione agendum est, quum unumquodque suas habeat crises sibi proprias<sup>40</sup>. Ad diem criticam, qua ita agendum sit, constituendam pro rationibus diversis aut secundum typum tertianum aut quartanum<sup>41,</sup> numeratur, et aestate decoctum, hieme remedium siccum praeferendum esse dicitur.

V. Curatio reconvalescentiae<sup>42,</sup> ad necessarias diaetae aerisque mutationes pertinet, nonnunquam vero vel sanguinis missionem<sup>43,</sup>, balnea, inunctiones et curam secundariam (rosarum syrupo vel odoribus<sup>45,</sup>) efflagitat. Deinde aegrotis animi exhilaratio simul cum reditu ad oblectationes solitas<sup>46,47,</sup> commendantur. Postremo docetur, qua ratione medicus curatione finita in discessu, in poscendo honore<sup>48,</sup>, in aegroti denique consolatione inter discessum<sup>49,</sup> urbane gerere se debeat.

Iam ex hac opusculi summa apparet, in praxi Salernitanorum medica eandem mentem ac rationem valuisse, quam eorum scientiae Compendio Salernitano teste subesse supra monuimus. In universum enim Hippocratica est, in singulis autem mutata additamentis, definitionibus, explicationibus et passim erroribus, quos Galenus omnia ad disciplinae sibi propriae leges revocans in doctrinam Hippocratis intulit. Cuius rei, ut pauca quaedam exempla afferamus, (multis omissis, quorum vestigia saltem in Hippocratis libris inveniri poterant) in primis monemus Hippocraticam esse sententiam, quam in Compendio subiectam esse videmus, scilicet morbo subesse materiam peccantem eamque fluidam (humorem), quae a natura impugnetur et sensim calore interno superetur h. e. digeratur: sed acre esse bellum, quod membra intendat ac defatiget, postremo autem opere peracto culmen et coctionis statum assequatur et materia ista expulsa in crisis formas, quae magis minusve perfectae evadunt, transeat. Hippocrati porro vindicandae nobis videntur et acutae illae significationes e semiotica et prognostica medicinae parte petitae, quae de pugna ista naturali hic illic afferuntur, et medendi methodus iis nixa, ex qua medicus naturae servus sit, cui eius opera ex certis signis certis diebus cognoscere et observare et ubique explorare, quo natura tendat, conveniat, ut secundum ea, quae exploravit, suam curandi rationem instituat. Pariter ab Hippocratis doctrina si sententiam eius de materia morbifera respicimus, haud aliena est sententia therapiam magna ex parte in remediis coctionem iuvantibus vel digestivis adhibendis, in pathologica sanguinis multitudine per eius missionem minuenda et in purgationibus criticis augendis esse positam : ubique vero agendum ratione moderatissima, itaque utendum remediis lenissimis simplicissimisque et semper respicienda esse naturae conatum, externas et internas aegroti conditiones, leges denique decursus morbi ac typi. Praeterea Hippocratis doctrinae admodum accommodatum est praeceptum, ex quo diebus medicinalibus nulla sit medicina porrigenda, nisi naturae conatus quidam apparuerit; item, si morbi culmen vel procul sit; specie porrigi possit medicina, si natura iam crisi opus peregerit. ---Quamquam sententiis modo expositis, quae in Galeni scriptis etiam paullulum immutatae reperiuntur, doctrinae in libello nostro traditae fundamenta continentur, tamen maximam partem Galeno ipsi vindicanda sunt quae ex iis concluduntur quaeque eas fusius explicant et in singulis amplificant ac transformant. Iam enim in sententia de morborum origine ex humoribus Galeni esse videmus discrimen illud commenticium, quod inter contrarios humores principales, quasi febris materias, inter coleram et melancoliam statuitur, quippe qui in genuinis Hippocratis scriptis certe pathogenesis categoriae non sint; videmus porro e variis bilis generibus, inter quae Galenus discernit, praecipue colerae vitellinae, frigidiori et crassiori cuidam eius generi, aliquantum ponderis ab eo tributum. Galeni doctrinam vero multo magis ea redolent, quae de caliditate et frigiditate quas vocant inter se contrariis deque iis, quae inde sequuntur, in medium proferuntur: nam Hippocrates quidem

3 \*

discrimen inter calidum et frigidum non ignorat, imo magni facit, sed ea h. l. tanquam certa virium genera adhibentur iisque systema ratione Aristotelica superstruitur. Ad hoc momentum tanquam primarium h. l. omnia referuntur, ut v. c. fundamentum sit causarum, diaetae, rationis curandi, singulorum denique medicamentorum: quae sententia plane falsa a germano Hippocrate, a germano inquam, alienissima est: verum etiam qui inde proficiscitur modus temporis anni respiciendi in libello nostro nimis crebro obvius, magis certe Galeni quam Hippocratis est, quamquam Hippocrates commutationes temporum quadripartitas haud quaquam neglexit. Praeterea alias res in eodem tractatas, quae Hippocratis tempus superant, v. c. pulsus explorationem Galeno originem debere sponte intelligitur: pariter in spectanda urina, id quod ex momentorum in ea observandorum ordine, cuius Theophilus Protospatharius auctor est, concludi potest, multo magis medici, qui Galen um secuti sunt, quam Hippocrates, qui urinae potius prognosticam quam diagnosticam vim tribuit, in usum vocati sunt. Ex Galeni disciplina denique etiam praecepta de loco eligendo, quo sanguinis missio instituenda sit, saltem ex parte profectae videntur, quae, multum abest, ut nimis artificiosam illam rationem et subtilitatem, quam haec doctrina apud Arabes, praecipue ex Ab ul-Cas e mi tempore et media aetate induit, prae se tulerint.

Ab Arabibus in universum paucissima recepta sunt, quamvis negari nullo modo possit, Salernitanos singulas quasdam res ex eorum medicina ductas cognitas habuisse et in usum vulgarem recepisse. Quod maxime ex frequenti violarum et rosarum usu cognoscitur, quae quidem etiam Galeno notae fuere, Arabibus vero praecipue probatae sunt, et in Compendio Salernitano inter remedia usitatissima ac nonnunquam sola referuntur: verumtamen videndum est, ne haec omnia a Nestorianis ad Byzantinos v. c. Psellum transierint, h. e. potius Graeca, quam Arabica sint: certe libelli nostri auctor a vera Arabum materia medica et pharmaceutica multum abest, quam in aliis Compendii Salernitani commentariolis haud dubie serius scriptis multo magis in usum vocatam videmus.

Omnino ex iis libelli locis, quos ad praecepta aut Hippocratis aut Galeni aut Arabum accedere diximus, haudquaquam concludendum est, eum ex fontibus istis plane exhaustum atque commixtum esse. Qui vel nullius pretii non foret, si tali modo exortus esset, quum ea, quae tempore, quo materiam ad aliquam rem cognoscendam congerere difficile erat, ex alienis agris colligebantur, longe aliter metienda sunt, quam libri, qui hodie ita componuntur. At tantum abest, ut e locis descriptis conglutinatus sit, ut neque ad Hippocratem neque ad Galenum neque ad Arabes referri possit, sed proprie Salernitanus dicendus sit. Quem si totum contemplamur, negare non possumus, aliud quoddam opusculum, quo ratio, qua medicus in morbis acutis agere debeat, tam accurate descripta sit, inter medii aevi libros non reperiri. Ad singulas vero partes si respicimus, libelli proprietas cernitur in illarum delectu, in universa compositionis ratione, in arcta ac peculiari praeceptorum Graecorum, Arabicorum et eorum connexione, quae monachis Christianis, ipsi scholae Salernitanae, tempori latino-barbaro et auctoris consilio vindicanda sunt: is enim capita rei plerumque strictim attigit et potius delineatam universae rei imaginem exhibuit, quo factum est, ut copiosiores rerum quarundam gravissimarum expositiones atque explicationes hic illic desiderarentur, quibus iudicium nostrum dirigi posset\*). — Salernitanus porro liber dici potest propter res quasdam

<sup>\*)</sup> Ita gratissimum esset, si auctor, ut cognoscatur, ex quibus fontibus hausit, sententias de spectanda urina et indicationes missionis sanguinis copiosius exposuisset.

medicas, quae manifesto Salernum et Italiam inferiorem significant. Huc referendi sunt cibi aegrotis concessi, terrae australis poma (mala Punica), quae praescribuntur, et emulsio ex amygdalis facta, quae Salerni praecipue in usu fuit, id quod ex libello inedito Petri Musandini in bibliotheca regia Vratislaviensi asservato, quo copiosissime ac diligentissime de ea componenda agitur, luculenter apparet. Salernitanam libri originem produnt etiam nimia diligentia, quae in diaetam impenditur, (in qua vel vetus illa πτισάνη Hippocratis non deest), et medicamentorum delectus, maxime violarum, malvarum, cucumerum et foeniculi seminum cum radice Brusci (h. e. Rusci aculeati L.) et Asparagi, (quae remedia in Compendio Salernitano magnum pondus habent et in quavis fere pagina commemorantur), item penidiorum, quae iam ad pharmacopoeam Salernitanis propriam pertinent. Praeterea eam rem, quod in therapia ubique temporum anni ratio habetur, in universum quidem Hippocratis esse diximus, modum autem, quo illorum ratio ducitur, specialiter Salernitanis tribuerimus, quum argumento partis primae libelli cuiusdam "de aegritudinum curatione", qui compendio Salernitano inest, tam plane respondeat, ut is fere pro commentario in nonnullos libri nostri locos haberi possit. Postremo infitiari non possumus, eum monachici istius temporis menti tam egregie convenire et rationem, qua in monasteriis Salernitanis externa curandi via tradebatur, tam bene exhibere, ut tempore, quo scriptus est, nisi Salerni scriptus esse non possit. ---

II. Iam vero alterum libelli nostri argumentum respicere debemus, quo is inter mediae aetatis libros insignis est et vitam medicorum practicam, qualis illo tempore fuit, quasi imagine expressam praebet, h. e. institutionem medici, qua ratione ad aegroti lectum gerere se debeat. Quae disciplina quin diligentissima consideratione dignissima sit, vix potest dubium esse, quum ea medicorum istius temporis mores atque consilia modo fere dramatico admodum ingenue et simpliciter ac nonnunquam vere amabiliter exponantur. Semper quidem medici ad aegrotos decorum atque dignitatem quandam servarunt et prudentia quadam ducti, quae ad finem licitum consequendum artibus licitis nitebatur, egerunt: id quod maxime necessarium fuit, quam diu altioris solidiorisquae artis vivendi gnari imbecillos homines ratione paedagogica et psychologica dirigebant, cuius rei iam veteres illi omnis humanitatis principes, Graecos dico imprimis Hippocrates ipse et qui eum secuti sunt, item interpres eorum, Galenus graecissans primi praeceptores nostri fuerunt\*). Ad ea, quae veteres scriptores de ista operae medicorum parte docuerunt, supplenda praecipue idoneus est libellus, quem supra typis imprimi curavimus, quippe quo de eadem re, quoad media aetate christiana spectata est, disputatur et lacuna historiae artis medicae expleatur. Ac primum quidem in eo medicum pro temporis ratione, quo fiducia in religione (ecclesia) posita multo magis quam hodie valebat, et medicina maximam partem a clericis vel saltem a fratribus laicis vel monasteriorum familiaribus \*\*) exercebatur, tanquam religiosam muneris sui consecrationem prae se ferentem videmus,

<sup>&</sup>lt;sup>\*</sup>) cf. Hippocratis libros vix dubie genuinos "de decenti habitu" et "de medico" inscriptos; medicorum post Hippocratem libellos "de arte", "Praeceptiones", "de Affectionibus" (Ed. Kuehn II. p. 405) et Epidem. VI. sect. 4. (Ed. Kuehn III. p. 603); Galeni denique in commentariis doctissimis ad locos modo citatos (Ed. Kuehn XVIII. P. II. p. 135-152). Sed schola Hippocratica nusquam tam diligenter singula respicit, quam libelli nostri auctor: Galenus sane paullo copiosior est.

<sup>&</sup>quot;) Quod vulgo Oettero maxime auctore creditum est, medicinam media aetate nisi a clericis exercitam non esse, examini denuo erit subiiciendum. Nam equidem in perscrutanda medicinae historia nonnulla inveni, quae me facile commovere possint, ut sententiae isti fidem derogem. De qua re alio loco verba faciam.

itaque mirum esse nequit, quod auxilii divini spe elatus et divini illius nuntii Raphaelis, qui secundum Bibliorum narrationem viro admodum pio comes addebatur, memor h. e. deum ipsi praesentem adesse persuasus ad aegrotos accedere iubetur, quodque monetur, ut animo puro castoque domum ingrediatur et ecclesiae praecepta iam initio atque imprimis respiciat. In quibus praeceptis vitae accommodatissimis quemadmodum praeceptoris medii aevi, qui immutationem sententiae dei cooperantis accidere posse putat, mens vere christiana cognoscitur, ita eam aliis rebus, quae in libro nostro proferuntur, subesse videmus: v. c. in affirmatione humana ac benevola saepius repetita, medici adventum aegroto ipsi consolationi esse; in provisione, ne medicus aegrotum de remediis ecclesiasticis admonendo ullo modo angat; maximum vero pondus humana Salernitanorum mens ei rei affert, ut medicus aegroti fiduciam sibi conciliare conetur. —

Praeter praecepta ad medici animum pertinentia ea traduntur, quae ad vitam externam spectant, h. e. regulae decori atque honestatis, quas medicus in consuetudine cum hominibus sequi debeat, exhibentur. Cui igitur praecipitur, ut post adventum nec superbe lauteque nec illiberaliter avareque se gerat, sed comitate omnium animos sibi conciliet; utque ubi hospitio excipitur, modestum atque urbanum se praebeat simulque aegrotum curae habeat, quo et eum et eius cognatos gaudio compleat: quae praecepta, licet nunc risum moveant, tamen haud inutilia viris fuere, qui maxima ex parte intra monasterii muros viventes vitae socialis mores ignorabant. Suis locis denique intersertae sunt regulae ad medici prudentiam pertinentes, quae, quoad fini artis consequendo inserviunt, vix quisquam in reprehensionem vocabit. Imo libelli auctorem ex re monuisse fatendum est, ubi v. c. de explorando pulsu verba fecit, ne medicus, ut permulti faciunt, mox post introitum aegroti brachium prehenderet, sed exspectaret, donec eius animus non amplius adventu medici affectus sit; ut postea brachium apte teneret ac fulciret, saltem centum pulsus numeraret et si res ita ferret, explorationem tam longam belle excusaret; inter explorandum ipsum autem pulsus qualitatem diligenter observaret et ad diagnosin faciendam animo penderet. Eiusmodi enim praecepta etiamnunc haud paucis medicis recentibus satis commendari nequeunt; quam ob rem scriptorem Salernitanum non deridebimus, quod medicum ne minutissimas quidem res ad aegrotum spectantes negligere iussit: quodque v. c. eum monuit, ut pingue de iusculo dehauriendum curet, et varias artes in venaesectione adhibendas docuit. Facile etiam rationem psychologicam intelligemus, qua ductus ille scripserit: "et interim medicus absit", qua aegrotum convalescentem ad hilaria colloquia solitasque oblectationes reduci, qua medicum blande muneris vacationem petere iusserit. Postremo vero nonnullas regulas falsae medicorum prudentiae serio dictas in libello nostro invenimus, quae quum ad solum medici commodum spectent, haudquaquam pari laude extollendae sunt. Quarum una eam ob caussam memorabilis est, quod egregie testatur, quam parum fidei medici ipsi parti cuidam scientiae medicae, qualis illo tempore fuit, per se sane ancipiti habuerint. Praescribitur enim medico, ut iam initio e nuntio res aegroti exquirat, ut, si ex pulsu et urina morbum non cognoverit, cum aegroti stupore certe ex iis eum cognosse videatur. Postea similiter praecipitur, ut post pulsus explorationem lotium postuletur, eo consilio, ut aegrotus ex eo mali cognitionem haustam esse putet. Huiusmodi praecepta docent, medicis tacitis persuasum fuisse, pulsus et lotii exploratione se facile in errores induci posse vel eam ad diagnosin constituendam plane non sufficere. Similiter sphygmoscopiae et uroscopiae illius temporis diffisum esse videmus libelli apocryphi saeculo XIII. scripti auctorem, quem vulgo Arnaldum a Villanova (cf. Sprengel. Hist. Med. II. p. 624)

appellant, et similia notat Petrarca (cf. Jani I. 1. p. 201. adnot. sq.) in medicis saeculi XIV.; sed propter eam diffidentiam vehementer reprehendendi sunt medici, quod artes illas certas esse simulantes perpetuo iis usi sunt. Eiusdem fere generis est praeceptum, quo medico mandatur, ut aegroti cognatis morbum quam gravissimum describat, quo in fausto exitu meritum suum augeat, in contrario autem infamiam avertat. Quinetiam, ubi omnia prospere procedunt et natura ipsa iamiam opem tulit, medico saltem curationis species commendatur, ut ipsi tribuatur, quod natura peregit. Quae consilia, etiamsi ea odiose calliditatis monachicae et astutiae clericorum propriae significationes dicere nolumus, certe probare nequimus\*).

Sub libelli finem verbis "facite eos reluitu sq." ad honorem poscendum respicitur simulque praecipitur, ut medicus iam initio eorum sibi conciliare studeat favorem, qui aegroto proximi sunt. Ex quo praecepto etsi Sprengelio adstipulante (l. c. p. 502) affirmare nolumus, vulgarem monachorum praxim nihil aliud quam luculentam mercedem spectasse, tamen infitiari non possumus, auream illam primorum Christianorum aetatem, qua largoi dragy égeoi fuere, Salernitanis iam sexcentis abhinc annis ante fuisse praeterlapsam. —

Quae si forte ad libellum nostrum ab utraque parte describendum suffecerunt, non habemus, quod adiiciamus, quam quid illud sit, quod ex forma, qualem medicina in eo praebet, consequi et ad artis historiam pertinere videatur. Quod facile cognoscetur, ubi praxis Salernitanae imaginem, quam ex eo repetivimus, cum medicinae conditione, qualis tempore ante et post illam fuit, comparaverimus.

1. Antequam schola Salernitana aliquam famam nacta est, scientia medica in terris occidentalibus nondum totum quoddam effecit. Cuius singulae quidem partes studiis magis minusve subtilibus in monasteriis excultae erant, sed Salernum prima fuit urbs, in qua scientia medica totum quoddam complexa, in quo artis praecepta (theoria) pariter atque praxis inerant, ita tamen, ut praxis ad illa referretur, exorta est. In hac praxi media aetate et totius scientiae initium positum esse e libello nostro didicimus, et quibus ex partibus ea composita fuerit intelleximus.

2. Practicam Salernitanorum medicinam vero iam initio ab iis, quae medici Salernitani in commentariis doctis inde ab ineunte saeculo XI. scriptis docuerant, multum differre videmus. Nam satis est, Garioponti, Cophonis, Constantini opera et reliquum Compendii Salernitani argumentum cum libello "de adventu medici" comparasse, ut discrimen doctrinam inter et praxim medicam in eo patefactam intelligatur. Erat autem ea minus artificiosa multoque simplicior quam docta medicina, et tantummodo fundamentis generalibus veteris medicinae nitebatur: illa contra, licet in iisdem fundamentis posita, multo complicatior erat, quum e diversissimis diversarum veterum scholarum praeceptis artificiose inter se connexis composita esset et potius ad curandi rationem, quam ad ipsam curationem spectaret. Eadem distantia inter agendum et cognoscendum, inter vitam et scientiam hinc per totum medium aevum obtinuit<sup>\*\*</sup>), eademque in Silesia etiam saeculo XIV., quo et

<sup>\*)</sup> cf. Göthe's nachgel. W. 1833. XIII. Geschichte der Farbenlehre I. p. 111. 129.

<sup>&</sup>quot;) Non possum, quin sententiam subiiciam, quae, quum opinioni vulgari repugnet, mira quibusdam videbitur, argumentis vero satis stabiliri mihi posse videtur. Ea ip sa enim ratione, quam maxima librorum medicorum medii aevi pars praescribit, aetate illa nec agebatur nec agi poterat. Quod copiosius explicare ac demonstrare non huius loci est: sed si v. c. Arabum medicamina oculorum spectamus, nemo erit, esti tantillum experientiae medicae habeat, quin illa remedia ita comparata esse confiteatur, ut, si in usum vocata essent, omnem oculum sine mora lumine orbatura fuissent. Haec

scientia et praxis multis modis mutatae erant, valuit; de qua re in libello nostro de literarum in Silesia conditione exposuimus\*).

3. Particulae autem, e quibus medicinam Salernitanorum practicam in libello nostro conglutinatam supra vidimus, postea secundum quantitatem et qualitatem explicari coeperunt. Ad quantitatem si respicimus, imprimis pars dia etetica magis magisque complicatior facta et incredibili ratione in singula praecepta denique distracta est, id quod e consiliis praecipue saeculi XV. cognosci potest. Cum ea sensim coniunctum est pharmaceutices studium et dispensatorio illi Nicolai originem dedit, quo mox normam contineri videmus, ad quam media aetate medicamenta parari solebant. Postea, quum Arabum, praecipue Abul-Casemi doctrina innotuerat, saeculo XIII, (ex Rogeri Parmensis tempore, ut supra monuimus) chirurgia e studium florere coepit, mox autem in Italiam superiorem et per Lanfrancum Mediolanensem Parisios traductum est Salernitanisque denique detractum. Inde ab eo tempore scholae Salernitanae flos labi coepit, quamquam eius discipulorum, Aegidii, Gilberti, Ioannis a St. Amand, Bernardi Gordonis, aliorum opera vim suam vel saeculo XIV. exercerunt. - Qualitatem autem si spectamus, eadem ratione, qua Salerni multitudo eorum, quae docebantur, crevit, eadem, inquam, extra Salernum corpus medicinae Salernitanae, saeculo XII. Arabum scientia accedente, quae Galeni doctrinae cum detrimento simplicioris disciplinae Hippocraticae auctoritatem attulit, et saeculo XIII. doctrina Pseudo - Aristotelea, quae tum divulgari coepit et subtilitate vel Galenum superavit, magnopere immutatum est: donec nova medicinae forma eaque plane improbanda, quam vulgo Arabo-scholastices nomine signant, exorta est, quae, quum artem medicam ex parte in vanas notiones dissolveret, ex parte scientiam alienis tantum medicamentis impleret, tanto magis a matre Salernitana degeneravit, quanto plura ex astrologicis alchymicisque Orientis somniis et ex Romanis monachicisque superstitionibus repetivit eaque cum vetere medicina occidentis populari commiscuit.

4. Quae quum ita sint, libellus noster iam propterea admodum memorabilis est, quod eius materia mediae aetatis medicinam nobis integerrimam simplicissimamque et ab erroribus istis in quos, ut supra monuimus, ea posterioribus temporibus incidit plane liberam praebet. Verum etiam illa pars, qua de modo, quo gerere se debeat medicus, agitur, haud spernenda est, quippe quum ex ea cognoscatur, qua ratione medicorum ordo originem duxerit. Ita enim rei natura fert, ut tempore, quo libellus scriptus est, medicinae exercitatio nisi privatum clericorum negotium non fuerit, quod (licet per se non ecclesiasticum) cum ipsorum vita ecclesiastica arctissime coniunctum nisi partem officii ecclesiastici non effecit, ut dubitandum sit, num monachus medicinam sive discens sive exercens ab aliis alia tractantibus monachis externo quodam signo distinctus fuerit. De praeceptis autem, quibus via atque ratio, qua clericus hac muneris sui parte fungens agere deberet, ad certam quandam normam dirigeretur, principio haud dubie non cogitatum erat. Egregie igitur e libello

et similia praecepta pariter atque opera mediae aetatis scholastico-dialectica scientiam medicam tantummodo tanquam notionibus verbisque inclusam continebant; libri medici a vera medici vita i. e. a praxi plane disiuncti erant. Nec de medii aevi medicina recte iudicare nobis posse videmur, nisi illud posuerimus. Eo tempore demum, ex quo recentior medicinae historia incipi solet, sensim sensimque theoriae et praxis connexionem assequi studuerunt atque etiam nunc id maxime agimus, ut distantiam inter utramque radicitus tollamus.

<sup>\*)</sup> Schlesiens wissenschaftl, Zustände im XIV. Jahrh. 1850. p. 62-64.

nostro discimus, in scholis monasterii Salernitani, in quibus primo universa medicina tractabatur, praeceptores primos legem desiderasse, ad quam externa medici agendi ratio constitueretur, ideoque canone, quem supra cognovimus, tam clerici modum se gerendi convenienter cum vita publica ac sociali ordinasse, quam eius praesentiam in vita civili cum ordinis ecclesiastici dignitate et commodis consociasse. In qua re illud simul memorabile est, quod eodem fere tempore, quo scholarum discipuli in hunc modum ad vitam civilem praeparabantur, etiam publicatis versibus Salernitanis sapientiae Salernitanae pars popularis vulgo cognoscenda tradebatur. Ubi autem lex data erat, ex qua clericus medicus in vita quotidiana agere debebat: ubi is decorum externum et certum quandum idoneumque modum se gerendi ad aegroti lectum cognoverat: ubi denique medicinae alumni eadem arte instituebantur: ibi ordinis clerico-medici initia et quasi fundamenta erant iacta, ibique certa quaedam clericorum classis constituta erat, quae in munere suo explendo certa quadam ratione in vita quotidiana agere debebat. Itaque praeceptis, quae libellus noster praebet, quodammodo primus gradus factus erat, quo medici officium a clerici officio secernebatur. Hanc medici conditionem, cuius semina in libello nostro apparent, vita civilis sensim sensimque auxit atque ampliavit, iamque ex illo cognoscimus, qui factum sit, ut e clericis olim occasione data consilia medica exhibentibus paulatim Salerni medici clerici fierent ratione exculti, qui medendi artem tanquam munus profitebantur. Quum vero saeculo XII. exeunte et XIII. ineunte scientia e scholis ad universitates literarum, e monasteriis in vulgus transiret, et medici clerici libere vivere et artem exercere coepissent, iidem cum in vita civili iura atque officia, tum in universitatibus honores dignitatemque consecuti sunt, itaque, quum illi certum quendam statum in vita sociali obtinerent, certus quidam or do medicorum prodiit, qui postea a clero se plane segregavit, postquam e seminibus initiisque commentatione nostra propositis' praeter scientiam suam typum, morem atque honorem ordinis sui proprios sibi formaverat.

---- 25 .....

Quae quum ita se habeant, nisi libellus Salernitanus ipse, certe doctrina, quae eo continetur terminus est, a quo novam historiae medicinae periodum incipiamus : praebet ille quasi modum, quo eius progressus media aetate metiamur. In qua re et pretium positum est, quod ei tribuendum esse duximus, et causa, cur eum non modo omnino, qui publici iuris fieret, sed qui hodie potissimum, quo die medico celeberrimo muneris sacra semisaecularia gratulaturi sumus, in vulgus emitteretur, dignum iudicavimus.

386

4

